



INDEX DISPUTATIONUM

Theologicarum

sub Praesidio Leonb. Hutleri.

De Confessione Augustana

2 De unitate essentiae divi-
nae et personarum Trinitatis

3 De personarum in unadi-
vina essentia differentis
notis characteristicis ordine
et de generatione ac divi-
nitate filii Dei aeterna

4 De divinitate Spiritus Sancti
ejusque aeterna processione
a Patre et filio, et de Sa-
cramentis tam veteribus quam
recentioribus etc.

5 De peccato originali per
difficiliam scripturam polysemam
opposita.

6 De blasphemia in Spiritum
sanctum sive peccatum ad
mortem

7 De unione hypostatica di-
varum naturarum in Christo

8 De communicatione et
naturarum et eorum
Idiomatum in Christo

9 De officio Christi sacerdo-
tali et statu Summationis

10 De officio Christi re-
gio, et statu exalta-
tionis

11 De justificatione ho-
minis peccatoris coram
Deo

12 De efficacia ministerii
verbi et sacramentorum
Dei Ministeriorum Ecclē-
siae vocatione

13 De bonis operibus

14 De Ecclesia a. 7. 8. c. 11.

15 De Sacramento ingere-
re 13 a. c. 4.

16 De Baptismo, c. 4.

17 De Coena Domini. 10

18 De Penitentia et
Confessione 11. 12

19 De Traditionibus hu-
manis in Ecclesia

20 De rebus civilibus
et potestate Ecclesi-
astica. 16 c. 17

21 De extremo pudore

22 De libero arbitrio

23 De causa peccati

24 De cultu sanctorum

25 Ex Jerem. Ecce agnus
illi Dei qui tollit peccata
mundi

26 De verbo Dei
scripto seu Scriptura
in sacra.

DISPUTATIO XXI.

DE DISCRIMI-

NE VETERIS ET
NOVI TESTA-

menti.

DE QVA

Christo Servatore volente iuvante

Sub praesidio

LEONHARTI HVTTERI,

SS. THEOLOGIAE

DOCTORIS,

Respondebit

ARNOLDVS STAPPENBECCIUS

Stralesfundensis, Pomeranus.



IENAE

Typis Tobiaë Steinmanni.

Anno ∞ 13 IIIIC.



REVERENDIS, CLARISSIMIS

Doctissimisq; Viris,

Venerandâ Pietate, doctrinâ sincerâ, insigni virtute,
& multiplici excellentis eruditionis copiâ
præstantissimo

Dn. L V C A E B A C M E I S T E R O, SS.
Th. in inclyta Balthici littoris Academia Rostoch.
Doctori celeberrimo, ut & Superintendenti Eccle-
siae ejusdem vigilantissimo, & Pro-
fessori præclarissimè me-
rito.

Nec non

Dn. M. P A V L O P E T R E I O, &
Dn. M. I O A C H I M O V V E S T P H A L O,
Ecclesiasticis ibidem dignissimis;

Juxtaq;

Cl. Viro, doctrinâ, virtute, prudentia,
& humanitate excellenti Dn.

M. I O A N N I H O L S T E I N I O Professori
ejus Academiae spectabili.

Dominis, fautoribus & Præceptoribus suis summo
honoris & observantiæ cultu reverenter
& amicè prosequendis.

συζητησιw hanc Theologicam
Animi grati declarandi
Studiq; testificandi causâ

D. D. D.

Arnoldus Stappenbeccius
Respondens.





De discrimine veteris & Novi Testamenti.

T H E S I S I.

Duo & quidem diversa esse Testamenta, Vetus nimirum & Novum, Sacrarum literarum passim demonstrant oracula.

2. Ecce dies venient, inquit Iehovah apud Prophetam, & feriam domui Israël, & domui Iuda foedus novum: Et Apostolus, duo haec ait, sunt Testamenta: Vnum à monte Sina, in servitutem generans, quod est Agar: Servit autem cum filiis suis: Quae autem supra est Ierusalem, libera est, quae est mater omnium nostrum.

Jer. 31, 31.
Hebr. 8, 8.
Gal. 4, 24.
& seqq.

3. De duobus hisce Testamentis quaesitum fuit semper, Quidnam similitudinis & dissimilitudinis, illis invicem intercedat.

4. D. Augustinus perperam intellecto vaticinio illo Prophetico, statuit alicubi Veteris & Novi Testamenti discrimen in eo situm esse, quod illius doctrina in tabulis lapideis, huius autem in cordibus scripta sit.

lib. de Spir.
& lit. c. 26.

5. Atqui verò reclamatione Apostolus, Opus legis in gentiliis cordibus etiam scriptum esse, disertè pronuncians.

6. Sacramentarii, vetus & Novum Testamentum

A

2

non

non ipsâ substantiâ, sed administratione tantum & dispensationis modo, sive solis accidentibus differre: ac proinde in hac questione, non distinctionem generis in species, aut specierum inter se: sed tantum subjecti in Accidentia locum habere opinantur.

7. Notandum verò, in hac disputatione, Veteris Testamenti appellatione, non ut vulgò fieri consuevit, venire nobis Scripta Mosis, & Prophetarum: Novi verò Evangelistarum & Apostolorum monumenta: quemadmodum liber Biblicus aliâ ratione temporis vel venturi, vel iam exhibiti Messia, in Vetus & Novum Testamentum distingui solet.

8. Verum Testamenti Veteris vocem, Legem Mosis propriè sic dictam, omnesq; ac singulas eius partes suo ambitu comprehendere.

9. Novi verò Testamenti appellationem respicere tantum promissiones de gratuita peccatorum Remissione per fidem in Christum tum exhibendum, tum exhibitum, sive ille in Prophetarum, sive Apostolorum scriptis contineantur.

10. Sic ergò in specie sumta vocabula Veteris & Novi Testamenti, quid cognationis & diversitatis obtineât, videndum fuerit: idq; tantò accuratius, quantò intricatior hæc est doctrina, & non rectè percepta, Difficultates alias, in disputatione præsertim de Sacramentis utriusq; Testamenti parit longè gravissimas.

11. Vocabulum Berith Aquilas, Hieronymo teste $\sigma\upsilon\nu\delta\eta\kappa\upsilon\nu$ vertit, hoc est, pactum sive foedus. Septuaginta illi seniores, S. Bibliorum interpretes, $\delta\iota\alpha\delta\eta\kappa\upsilon\nu$, hoc est, Testamentum reddiderunt.

12. Etsi verò plerisq; hodiè Doctõribus vocabula isthæc $\sigma\upsilon\nu\omega\nu\mu\alpha$ esse videntur, unde & promiscuus eorum

usus jam olim obtinuit: haud parum tamen illis invicem
intercedere discriminis, cuius mediocriter attendenti,
obscurum esse non potest.

13. Foedus enim sive pactum absolvitur mutuis
promissis mutuoq; consensu duorum vel plurium, expres-
sis verbis definito, quo uterq; ad dandum aut faciendum
aliquid se obligat.

14. Testamentum verò ad sui confirmationem,
præter alia, vel maximè mortem Testatoris requirit:
siquidem attestante Epistola ad Hebræos, Testamentum Heb. 9, 16.
ubi est, mors testatoris interveniat, necesse est.

15. Quo respectu Testamenti vox Christianis fami-
lior, magisq; propria ad confirmandas DEI promissiones,
esse videtur.

16. Nihilominus tamen promissiones illas, quæ vel
in veteri vel Novo Testamento extant; & foederis &
Testamentirationem simul obtinere, affirmamus.

17. Foederis quidem: quia cum adhuc peccatores
essemus secundum carnem, & inimici DEI, misertus no- Rom. 5, 10
strum est DEVS.

18. Testamenti autè: quia quas conditiones foede-
ris explere nos ipsi non poteramus: eas imputatâ nobis fi-
lii sui justitiâ, quasi legavit DEVS.

19. Tria autem potissimum ad huiusmodi Testa-
menti, quod foederis etiam instar sit, constitutionem &
substantiam requiri videntur: 1. Ipsæ conditiones sive
promissiones. 2. Signa, quibus pacta conventa firman-
tur. 3. Ipsa fides, sive obligatio.

20. Quorum requisitorum respectu, triplex etiam
Veteris & Novi Testamenti discrimen rectissimè con-
stituitur.

21. PRIMÛ ergò discriminè ex promissionũ diversitate
petitum Test. I. Discrimen
Ver. & Novi

petitum in eo consistit, quòd Vetus Testamentum propriè
in se, & per se consideratum, terrenas tantùm & corpo-
rales promissiones cõtinet, quarum facile prima & prin-
ceps est, de possessione terra Canaan, & conservati-
one populi iudaici, donec exhibeatur Messias.

22. Novum verò Testamentum, itidem propriè
& per se consideratum, non terrenas tantùm & corpo-
rales promissiones, sed spiritualia magis & aterna bona
offert, nempe Remissionem peccatorum, iusticiam & vi-
tam aeternam.

23. Discriminis huius fundamenta Epistola ad He-
braeos capitibus quatuor integris, à septimo ad undecimũ
usq̃, perspicuè & luculentè proponit & explicat.

24. Neq̃, obstat, quòd patribus in veteri Testamen-
to, etiam ante exhibitum Messiam, promissiones de
gratuita peccatorum Remissione, per & propter ven-
turum Messiam facta leguntur.

25. Non enim Novum Testamentum tùm demùm
cepit, cùm Christus in carnem iam venerat: Sed iam in-
dè ab ipso primorum parentum lapsu suum habuit ex-
ordium: ita ut temporis habita consideratione, Novum
prius sit vetere.

Gal. 3, 17 26. Quod ne cuiquam absurdum videri queat,
affirmati nostri probationem ex Apostolo producimus,
cuius hæc sunt verba: Hoc autem dico: Testamentum,
quod prius ratum factum est á DEO in Christum, Lex
post annos 430. lata, non facit irritam, ut vanam red-
dat promissionem.

Gen. 12, 3. 27. Notandum verò diligenter, D. Apostolum eò
loci verba facere, de promissione Abrahamo facta: In
semine tuo benedicentur omnes gentes terra: id quod ex
versu precedente 8. est manifestum.

Hanc

28. Hanc ergo promissionem primū nominat
duo dicitur Testamentum: 2. testatur eam annis 430. an. v. 17. & 18.
te Legem Mosaicam, à DEO in ipsum Christum confirmatā
fuisse. 3. hereditatem Abrahamo ex Lege obligisse ex-
presse negat.

29. Ex quibus manifestum evadit, promissionem
gratia, quæ Novi Testamenti est propria, Lege Mosaica,
sive veteri Testamento multò antiquiorem esse.

30. Constat & illud, propter promissiones illas, &
fidem ab Ecclesia Veteris Testamenti illis adhibitam, duo
hæc Testamenta inter se minimè confundenda: sed No-
vum potius, temporis respectu, ante & post exhibitum
Messiam subdividendum esse; quod videlicet, licet gloria
eius post exhibitum de mūm Messiam effloruerit, ante
exhibitum tamen eundem, non alia fuerit justificationis
ratio.

31. Qua de re sic in Concilio Apostolico pronunciat ^{Act. 15, 10.}
D. Petrus: per gratiam Domini nostri Ihesu Christi cre- ^{& 11.}
dimus nos salvari, quemadmodum & patres, qui jugum
legis portare non potuerunt.

32. Quò pertinet insignis etiam ille D. Augustini
locus, sic hac de questione differentis: Quamvis in ve- ^{lib. 1. cont.}
teri Testamento, propter temporalium bonorum promif- ^{advers. legis.}
sionem, malorumq; comminationem, servos pariat tem- ^{& Proph. c.}
poralis Ierusalem: In Novo autem, ubi fides impetrat ^{17.}
charitatem, qua Lex possit impleri, non magis timore
pænæ, quàm dilectione justitiæ, liberos pariat æterna Ie-
rusalem: tamen & illis temporibus fuerunt iusti spiritu-
ales, quos non occidebat Litera jubens, sed vivificabat
Spiritus iuvans: Vnde & fides venturi Christi habi-
tabat utiq; in Prophetis, futurum prænunciantibus Chri-
stum.

Quibus

33. Quibus ita constitutis duo distincta quasi ex-
urgunt Novi Testamenti tempora: Vnum Promissionis:
alterum Exhibitionis.

34. Promissionis Tempus, iam inde ab ipso primo-
rum parentum lapsu, ad exhibitum usq; Messiam duras,
secundum accuratiorem χρονολογίαν annos Mundi 3970
continet.

35. Exhibitionis tempus est, quod inde à nato Messia,
& per acto Redemptionis nostræ Sacrificio, ad Consumma-
tionem usq; seculi perdurabit.

36. Quo finito, subsequetur beatissimum illud Im-
pletionis Tempus, quod in Vita aeterna re ipsa exhibebit
id, quod hac in vita, tam Veteris quam Novi Testamen-
ti cives crediderunt & sperarunt.

37. Prius illud Tempus promissionum Patribus
factarum, ratione efficientis quidem cause cum
Veteris & Novo congruit: Vtriusq; enim autor est DEVS:
Ratione autem Finis cum Novo.

38. Caterum (ut ad alterum discrimen Veteris &
II. Discrim. Novi Testamenti accessum faciamus) quoad signa sive
Sacramenta, quibus Promissiones illæ firmabantur, ma-
xima sese rursus offert diversitas.

39. Etsi enim negare non possumus, respectu finis
Rom. 4, 11 Sacramenta Veteris Testamenti equè fuisse signacula ju-
sticiæ fidei, & confirmationes promissionum divinarum,
atq; sunt Sacramenta Novi Testamenti.

40. Interim tamen & illud affirmamus, quatenus
Sacramenta illa ad Vetus Testamentum in servitutem
generans, pertinebant, eatenus non potuisse obsignare
justitiam fidei: potuisse autem, quatenus Typorum instar
respexerunt futurum Messiam, Novi Testamenti medi-
atorem.

41. Duplicem ergò Signa sive Sacramenta Veteris
Testa-

Testamenti obtinuerunt respectum: Vnum, ratione promissionum gratiae: alterum, ratione promissionis terrae Canaan.

42. Ratione promissionum gratiae, Circumcisio & Φεαγίς signaculum erat iusticiae fidei; Ratione autem promissionis terrae Canaan, & politicae Iudaicae, ad Christum usque conservanda, infirmior erat Circumcisio, ut & omnes alii ritus Mosaiici, quam ut salvare quenquam potuerint.

43. Quibus verò notis ac conditionibus, utriusque Testamenti Sacramenta conveniant inter se: quibus verò discrepent: hinc considerare, haud fuerit inconueniens.

44. Conveniunt ergò: 1. Autore, qui utrorumque Deus est. 2. Partium numero, quae utrobique duae sunt, res terrena & coelestis. 3. ratione ὄψεως, quae utrobique signum & signatum habuit. 4. Fine: Vtraque enim signacula fuerunt iusticiae, eo tamen, de quo iam dictum diversitatis respectu. 5. Efficacia & fructu seu Re Sacramenti, quae utrobique fuerunt beneficia Christi. 6. Usu: Nam ut Sacramenta sint, externo ritu celebranda: ut prosint, fide utraque peragenda sunt.

45. Differunt eadem: 1. Tempore & Ecclesiae statu: illa Mosaiici seculi, haec Evangelicae Ecclesiae sunt propria. 2. Latitudine: Illa unius populi fuerunt propria: haec omnium gentium communia sunt. 3. Signis, ritibus, eorundemque qualitate: Illa enim sanguinolenta fuerunt, quippe mortis & sanguinis Christi antitypa: haec incruenta sunt. 4. Signandi perspicuitate: Illa enim praeter carnem & sanguinem pecunum & humanum, umbram tantam ac figuram sanguinis & corporis Dominici habuerunt: haec verò non pane tantum, vino & aqua: sed ipso etiam corpore & sanguine Dominico signant.

46. Postremam hanc, de qua maximè hodie controversatur, differentiae notam comprobatur Apostolus, Leviticarum Ceremoniarum observationem haud imponendam Christianis docens, propterea quòd fuerint umbrae rerum futurarum, Corpus autem sit in Christo. Colo. 2, 17

B Et

47. Et Epistola ad Hebræos, Lex inquit umbra
Hebr. 10, 1. habuit futurorum bonorum, non ipsam εἰκόνα sive absolu-
tam imaginem aut substantiam rerum.

48. Vbi per futura bona ipsam intelligi Christi in car-
ne manifestationem, non verò beneficia ejus spiritualia, pu-
tare remissionem peccatorum, gratiam DEI & vitam ater-
nam: vel ipsa ἀντιθέσις demonstrat ratio.

49. Neq̄ enim Patres in veteri Testamento destituti
fuerunt beneficiis illis spiritualibus: Caruerunt autem ipsa
substantia Carnis Christi: cuius σκιά duntaxat & umbram
ipsorum Ceremonia & Sacramenta obtinebant.

D. Hieron.
Comment.
ad Tit. c. 1.

50. Vnde consequens tantum inter Sacramenta ve-
teris & Novi Testamenti esse discrimen, quantum inter
umbram & corpora, inter figuram & veritatem, inter ex-
emplaria futurorum, & ea ipsa, quae per Exemplaria figura-
bantur.

l. 4. Sent.
dist. 2. lit. K.

51. Duplex hinc oritur ἕλεγχος: Prior contra Schola-
sticos, qui statuerunt Sacramenta Veteris legis tantum ad-
umbrasse gratiam, nostra verò conferre eandem: similiter
quòd Petrus Lombardus nugatur, Circumcisionem vim ha-
buisse remittendi peccata: non autem conferendi gratiam.

52. Posterior contra Sacramentarios, qui ut Sacra-
mentorum Novi Testamenti substantiam nobis eripiant,
subindè coccyssimum illum suum ingeminant: Sacramentorū
utriusq̄ Testamenti, unam eandemq̄, per omnia quoad sub-
stantiam esse rationem.

53. Et qui inde resultat error longè perniciosissimus,
differentiam Veteris & Novi Testamenti, saltem in quibus-
dam circumstantiis formae esse quaerendam.

54. Qua ratione ex Ecclesia Christiana iudaicam
constituunt: & lucem, gloriam, atq̄ dignitatem Novi Testa-
menti obscurant, enervant, imò penitus tollunt.

Ro. 13, 12.

55. Longè sanè aliter hac de re D. Apostolus iudicat,

CUM

cum vetus Testamentum nocti: Novum vero luci atq; diei Ier. 30, 26
comparat; aliter Propheta Iesaias, affirmans fore, ut tem-
pore Messie Sol septies illustrior futurus, quam antea fuerit.

56. Ex hac Sacramentorum utriusq; Testamenti di-
versitate, rectissime alterum Testamentorum inter se discrimen peti potest & debet.

57. Illud autem in eo consistit, quod Vetus Testamen-
tum, ut Epistola ad Hebraeos admonet, sancitum fuit
sanguine hominum & animalium; & vel hoc nomine imbe- Hebr. 9, 12
cillus, ut per se quenquam salvare potuerit. Novum vero
ipso sanguine Filii DEI constitutum & confirmatum.

58. Quod discrimen Servator in solennibus institutio-
nis S. Coena verbis notare voluit, quando foederalem for- Exod. 24, 8
mam ex veteri Testamento mutuatus (Hic est sanguis Te-
stamenti) additis duabus particulis ab illa discernit, inqui-
ens; Hic est meus sanguis novi Testamenti.

59. Firmum ex hoc discrimine argumentum sumi po-
test, de abrogatione Veteris Testamenti, quod nimirum illud
veniente in carnem Christo abrogari, & Novum institui
debuerit: docente hoc ipsum Epistola ad Hebraeos. c. 8, 13.

60. Id quod de Sacramentis quoq; Veteris Testamenti contra
Iudeos & Mahometistas, circumcisione hodieq; urgentes ac-
cipi debet, ea tamen ratione, ut diligenter inter foedus ipsum
gratia in circumcisione initum, quod certe nunquam in a-
ternum reddi potest irritum; & inter signum seu Sacramen-
tum foederis, quod certo statutoq; tempore suum sortiri finem
debit, sit distinguendum.

61. Tertium discrimen ipsam obligationem sive co-
ditionem foederis respicit: siquidem Lex sive Vetus Testamen- III. Discrim.
tum nihil promittit, nisi praestantibus perfectam obedientiam:
secundum illud; Qui fecerit haec homo, vivet in eis: Quam Rom. 10, 5.
cum nemo praestare possit, recte promissiones illas infirmas & Hebr. 7, 18
inutiles Apostolus pronunciat.

62. Novum verò Testamentum sive Evangelium promissiones habet gratuitas, & fidem tantum requirit, eaq̃ ipsam non ut meritum exigit: sed ut manum quasi mendici, qua bona gratuito oblata accipiat, sibiq̃ applicet.

63. Apparet hinc Novi Testamenti necessitas: Cum enim nullus mortalium prestare posset ea, quae Vetus flagitabat: ac proinde omnibus omnino pereundum fuisset: Novo ùiq̃ opus fuit Testamento, quod sine nostro merito gratis propter Christum omnibus credentibus conferret Remissionem peccatorum, iusticiam & vitam aeternam.

64. Huius discriminis respectu D. Apostolus Vetus Testamentum litera occidit: Evangelium verò Spiritui vivificanti aliquoties comparat.
Rom. 2, 27
& 29, 7, 6.
1. Cor. 3, 6.

65. In qua tamen à vti. D. Legem sive Vetus Testamentum secundum effectum suum accidentalem; Evangelium verò, sive Novum Testamentum, secundum effectum suum proprium & principalem, propter quem & revelatum est, ab Apostolo considerari, est manifestum.

66. Tribus hisce discriminibus, si quis addere velit quartum, quod ab utriusq̃ Testamenti latitudine sumitur: minimè repugnamus; siquidem constat, Testamentum Novum non ut Vetus unius certi alicuius populi crepidine contineri ac circumscribi: sed tam latè patere, quàm latè ipse Orbis terrarum diffunditur: Secundùm illud: *Ite in universum orbem terrarum, & predicate Evangelium omni creaturae.*
Marc. 16,
85.

67. Tota verò haec de discrimine utriusq̃ Testamenti disputatio, tum ad variorum errorum refutationem; tum ad agnitionem tristissima corruptionis nostrae, & inenarrabilium Christi Servatoris nostri beneficiorum celebrationem; eximias praebeat utilitates: Quas in nobis ratas & fixas efficiat idem Christus Iesus, DEVS benedictus in secula. AMEN.





DISPUTATIO XXI.
DE DISCRIMI-
NE VETERIS ET
NOVI TESTA-
menti.
DE QVA
Christo Servatore volente iuvante
Sub præsidio
J. N. HARTI HVTTERI,
S. THEOLOGIAE
DOCTORIS,
Respondet
NOLDVS STAPPENBECCIVS
Stralesfundensis, Pomeranus.
IENAE
Typis Tobiaë Steinmanni.
Anno ∞ 1733.